



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Petri Ioannis Perpiniani Valentini, Societatis Iesv
Presbyteri. Orationes Dvodeviginti**

Perpiña, Pedro Juan

Lvgdvni, 1622

Duodeuigesima Parisiis de diuina & humana phil. discenda, mense
Octobri. 1566.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13368

pestem, & cuius beneficio singulari etiam nunc in vera fide, & Ecclesie communitate stamus, idem illam nobis det mentem, ut neque ab ea discedere, nouasque superstitiones unquam colere velimus neque retentam & conseruatam flagitiosae vitae sordibus inquinemus: quos autem error à veritate semitis diuersis abduxit, eos bonus ille pastor qui oves perditas inuestigatum venit, rursus collectos aggreget, & in vnum cogat, ut vno omnes ore, vno animo, vnâ sententia, beneficentiam ipsius erga nos dies, noctesque praedicemus, pariterque post mortem in caelum euocati perfruamur vitam beatam & aeternam.

P E T R I I O A N N I S
P E R P I N I A N I.

De diuina & humana Philosophia discenda, ad Parisienses.

O R A T I O X V I I I.

QUOD Atheniensium instituto, quodam in Areopago voce praconis denuntiabatur oratoribus, ut sine prooemiis & epilogis causas perorarēt, idem mihi nunc tacito quodam praconio res ipsa videtur propemodum imperare, Parisienses. Nam siue naturam
causae

causæ propositæ spectemus, siue intueamur hodierni diei celebritatē, siue oculos in hanc urbem clarissimam conuertamus, siue quæ vestra sint studia, quæramus omnia eiusmodi reperiemus, ut sola per se, sine cuiusquam commendatione vos ad ea, quæ dicam audienda satis accedant. Dicendum enim est de laudibus humanæ diuinæque philosophiæ, cuius eximia species mirificum quendam in omnium cernentium animis excitat amorem sui: & eo tempore dicendum, quo utriusque studia, perpetuo totius anni cursu læguentia interposita modica quiete renouantur: & in ea urbe dicendum, quæ cum aliis magnitudine, imperio, nobilitate, copiis, religione certat, hac verò laude vincit omnes, quod in his antiquissimis augustissimisque sedibus, iam olim domiciliū & humana & cœlestis philosophia callocavit: & quod ego maximū ducō, dicendum apud vos, qui pulchritudinē eius adamas ab ineunte ætate sic, ut ne hanc quidem huius vitæ lucem atque hunc cœli spiritum existimaueritis vobis iucundum esse posse, si mens utriusque sapientiæ luce, & quasi spiritu careret. Quare vos tantum breuiter oro & obtestor, ut mihi de pulcherrimo Dei munere ac dono, cuius potiundi non tam restinctus, quā sopitus ardor, hodierno die rursus excitatur: de

max i

maximo huius vrbis ornamēto, in quo ex colendo tātum operæ temporisque consumendum esse iudicatis, verba facienti, benevolentiam humanitate vestrâ dignam tribuatis, hoc etiam maiorem, quàm tribuistis adhuc, quò superiorē illam causam necesse erat displicere multis: hæc verò nihil habet, quod vlli hominum generi aut gratum esse nō debeat aut probatum. Laudo magnitudinem animi vestri, Parisienses, quòd plerique sapiētiae amore capti, omnibus vel cōmoditatibus vel iucunditatibus honestatem & laborem anteposuistis; laudo constantiam, quòd neque rei vos difficultates à suscepto cōsilio deterruerunt, neque vitæ suauitates ab instituto cursu auocarunt, neque otij pristini desiderium ab incredibili celeritate retardauit; miror industriam, quæ ita versatur in hoc doctrinæ curriculo, vt non longè à summa laude abesse videatur. Sed videte per Deum immortalem, ne quando ardentissima illa studia, quibus tantam gloriam estis adepti, refrigerescant: digna est planè scientia humanarum diuinarumque rerum, & quam hominum labor non sine ope cœlesti reperit, auxit; adorauit: & quam hominum generi in tenebris iacenti lux diuina patefecit; cuius causa vtilia æquè ac iucunda contemnatis,

fi

si modo aut utilia, aut iucundia possunt esse, quæ nos hoc tam diuino bono priuant: nulla enim res neque dignitatis plus, neque utilitatis affert: nec tantum illa difficultatis habet, quin possit ingenio diligentiaque superari. Et quoniam magno, & excelso animo præditi qui sunt, ut vos estis, eos dignitate maximè par est, atque integra solidaque laude commoueri, complectenda vobis est vtraque philosophia, Parisienses & omnibus tum animi, tum corporis opibus tuenda, quæ à Deo vnà cum hominibus profecta atque propagata, & secundum naturam est maxime, & nos quoad mortalitas nostra fert, efficit quam simillimos Deo. Non enim apud Romanos primum exhorta est, ante quorû rep. & in ea Italiae parte, quæ Magna Græcia est appellata, & in plerisque Græciæ ciuitatibus tam multi fuerunt magna cum laude philosophi, non apud Græcos nata est, quos vnus de Sacerdotibus Ægyptiis, ut Critias commemorat apud Platonem, Soloni præsentis pueros animis esse dixit, quod veterem opinionem, fama & auditione acceptam nullam haberent, nullam antiquitate euanescentem disciplinam, neque scire omninò, quid antequam nati essent superioribus illis seculis, vel apud ipsos vel apud alios accidisset: ad quos per Orpheum vetusti

tustissimū poëtam, qui se Memphim, cæte-
 rāsque Ægyptiorum vrbes vidisse, totāque
 regionē illam peragrasse gloriatur, per So-
 lonem, qui multos ibidem audisse fertur
 philosophiæ magistros, per Pythagorā, qui
 Polycratis tyranni literis, ab Amasi Ægypti
 rege, cuius ille hospes erat, impetrauit, vt
 particeps fieret sacerdotum disciplinæ, per
 Platonē, & Eudoxum, quorū domicilia, vbi
 diu fuissent cum sacerdotibus versati, Stra-
 bo narrat suis temporibus exstare: denique
 per alios diligentissimos viros omnis ab
 Ægyptiis magnarum rerū scientia perma-
 nauit. Neque verò apud Ægyptios inuenta
 est, qui vel ab Hebræis illa, vel à principe
 suæ gentis acceperunt; aut apud Hebræos,
 quorum est ex Chaldæorum libris omnis
 hausta sapientia; aut apud Chaldæos, qui-
 bus ab aliquo traditam esse, necesse est. In
 primis illis generis humani sedibus. apud
 omnium hominum parētes primus eius or-
 tus procreatus est, ibidē, statim vt edita est
 in lucem, suā maturitatem est assecuta, in-
 de per omnes partes longè ac latè fusa, iis-
 dem aucta est, quibus vniuersum genus ho-
 minum, incrementis. Etenim creauit illa
 præstans æternaque natura principem hu-
 mani generis, quem in mundum à se con-
 ditum cum indixisset, tanquam eorum, quæ
 fecisset,

fecisset contemplatorem ac dominum, in
 amoenissimo loco deliciarumque plenissimo
 collocavit: præposuit terræ, mari, cæteris,
 quæ ad hominum usum comparata erant; ei-
 que tantam sapientiam attribuit, quanta præ-
 ditum esse debuit diuinum illud animal,
 quod non aliis modò rebus imperaturum
 esset, verum initium etiam allaturum eis,
 qui in omni perpetuitate consequeris tem-
 poris imperarent. Viderat ille effectorem
 suum, molitorem vniuersitatis & recto-
 rem, fuerat cum eo collocutus: adspexerat
 illa nascentis mundi principia, progressiones
 animaduenterat ac notarat, prospexerat
 mente penitus rerum cælestium, aëriarum,
 terrestrium, aquatiliū naturā: aliarum eter-
 nitatem constantiam, celeritatem, aliarum
 ortus & interitus, repentinas commutatio-
 nes: tarditatem, nihil eum latebat, quod ho-
 mini cognoscere fas esset, ei que hominī,
 quicum familiarissimè colloqueretur Deus,
 ille cælo & stellis, ille quatuor rerū ſuen-
 tium initiis, ille aëribus, ille terrenis mari-
 nisque bestiis, ille fontibus; fluminibus, la-
 cubus, ille stirpibus, ille rebus omnibus no-
 mina posuit & vniuscuiusque partes, vires,
 motus, cantus, voces ex sua quidque vi ac
 natura, certis propriis que vocabulis designa-
 uit. O Deus immortalis! quæ scientiæ co-
 piae

piæ, quàm multiplex & varia cognitio rerū
 erat in illo pectore inclusa, Vnde tam diffi-
 miles, & tam discrepantes appellationes,
 suis quæque generibus congruentes profu-
 xerunt? quanta in ipso illo fonte vis conti-
 nebatur, ex quo tantum sapientiæ flumen
 erupit? nulla res prorsus in terris, numē po-
 testatemque diuinam sic declarabat, vt, sin-
 gulare illud humani lumen ingenij, quod
 in primo hominum parente supra modum
 eluxit & eximia gloria scientiæ mirabilis,
 qua Deus illius mentem adornarat. Itaque
 non solum dum in ea fecilitate vixit, quod
 certè perexiguum quiddam fuit: sed postea-
 quam etiam violata diuina lege, in exsi-
 lium eiectus est, cum coniuge hominum
 matre, cum liberis nepotibus, posteris, de
 Deo frequentes habebat ille sermones: de
 hac tanti operis admiranda fabrica, de dæ-
 monibus, de naturis rerum, de pristinis illis
 iucundissimisque sedibus, de causis, cur in-
 de fuisset exterminatus, de iis quæ amisis-
 set bonis, de miseriis, in quas incidisset, hinc
 totus erat animo defixus, deplorabat illam
 hostis versutissimi fallaciam: lamentabatur
 cum suum, tum vniuersi generis humani
 peracerbum casum: clementiam diuinam
 predicabant, quæ sui contemptores tamen
 conseruandos iudicasset. Nam si Cornelia
 Græ

chorum mat
 ciles discor
 re amissis, n
 mo habebat,
 usque exitū,
 matris indul
 patem, vt ha
 mmemorare
 um virtutem
 am patriam,
 eam, ac def
 gnos principi
 in primo pa
 ram fuisse a
 reniæ, & ill
 mirationem
 uilitatis ciu
 um, de qua
 em, sed ex
 gustarat, v
 usque rebus
 ate loquere
 o à vetust
 omnis poste
 ina, quoad
 tem atque
 riam tempo
 diuissimē
 parentibus

Gracchorum mater, florentissimis liberis per ciuiles discordias, crudeli & immatura morte amissis, nihil aliud in ore, nihil in animo habebat, nisi tristem & luctuosum vtriusque exitum, tantamque potuit in animo matris indulgentia liberum efficere voluptatem, vt hanc summam esse duceret, commemorare omnibus ad se aduentibus, eorum virtutem, gratiam, eruditionem non solum patriam, sed peregrinam etiam & exquisitam, ac deesse lamentabiles exitus indignos principibus ciuitatis; quanto id magis in primo parente generis humani effecturam fuisse arbitramur vim inauditam sapientiae, & illam incredibilis fabricationis admirationem, ac vehementissimum tranquillitatis eius, & sinceræ voluptatis desiderium, de qua nonnihil antea breui illa quidem, sed ex omni fermè parte beata vita degustarat, vt nihil nisi de diuinis humanisque rebus, de amissa vitæ quiete, dignitate loqueretur? Acceperunt hæc sine dubio à vetustissimo parente liberi, nepotes, omnis posteritas, quæ quasi per manus tradita, quoad licuit per hominum impietatem atque scelus, ad sempiternam memoriam temporis propagata sunt. Hæc ille, qui diutissime vixisse fertur, Mathusala, non ex parentibus modo suis, verum ex ipso etiam

Adamo potuit audire. hæc Noëus Mathu-
 salæ progenies hominum in illa terrarum
 eluione conseruator disciplina patria co-
 gnouit, hæc ipse liberos suos principes hu-
 mani generis edocuit: hæc ipsius nepotes,
 ac pronepotes per omnes penè terrarū oras
 insulasq; dissipari, posteris suis prodiderunt.
 Hinc ad Chaldaeos omnis humanarum di-
 uinarumque rerum sciētia peruenit à Chal-
 daeis per Abrahamum ad Hebræos: ab his
 vel à Misraimo Chami filio, qui Ægyptum
 obtinuit, ad Ægyptios: ab Ægyptiis ad
 Phœnices, Græcos, Romanos: similibque ra-
 tione aliqua ad cæteras gentes ab illo prin-
 cipio deriuata est. nam & in Arabia, quæ
 deserta nominata est, exstitit Iobus vir san-
 ctissimus, & rerum scientia, & animi vir-
 tute singulari præditus, & in Perside Sybilla
 Sambethe Noë progenies, de Christo, de
 suæ gentis origine, de mundi ortu quatuor
 & viginti libros conscripsit. ac Iacobū qui-
 dem illum Israëlitarum patrem, quantum
 naturæ cognitione valuisse creditis, qui na-
 turali certaque ratione perfecit, vt ouium
 caprarumque greges, quales ipse vellet, ede-
 rent fetus, quantum eius patrem Isaacum,
 qui inclinato iam in postmeridianum tem-
 pus die, in agrum ad meditandum exhibat, at-
 que ad inspiciendam hanc cœli terræque
 descia

Ibidem.

Gen. 34.

descriptionem, hanc speciem, hanc pulchritudinem, à cuius admiratione mens paulatim, quodam quasi gradu facto, adscenderet ad auctorem omnium rerum? quantum verò eiusdem filium Iosephum, qui sic inter Ægyptios enituit, ut homo ætate adolescens, domo externus, cōditione seruus, facile principem apud Pharaonem gratiæ locum obtineret? Præterea cæteros, qui in ipsis generis humani primordiis, utroque sapientiæ genere præstiterunt, hoc tantum intelligi volo, Parisienses, cum rerū humanarum nulla sit hominibus ipsis antiquior, nihil cum philosophia posse de vetustate contendere, quæ ne ipsi quidē homines vetustiores esse Potuerunt: nam etsi Moses antiquissimus est eorum, qui nobis aliquid de sapientia diuina scriptum reliquerunt, tamen intelligendum est, id quod ex ipsius narratione perspicitur iam inde vsque à primo mundi satū atque ortu, viros fuisse permultos eodem diuino munere excellentes. Neque verò antiquitate solum, sed diuina etiam auctoritate, vtriusque philosophiæ partus & origo commēdatur, ut enim de humana prius loquar, non eam Timæus apud Platonem diuinum donum esse confiteatur, dum affirmat nullū maius bonum Dei concessu mortalibus neque donatum esse, neque tribuendum? non

In Timæo

idem doctissimi homines fictis fabulis indicarunt? qui siue Musas filias Iouis esse fixerunt, nihil aliud significauerunt, nisi omnem ingenuarum artium doctrinam, quam vno Musarum nomine comprehendebant, diuino munere ac dono, ad homines peruenisse, siue Meneruam sapientiæ præsidē; vel potius ipsam sapientiam, cuius monitis Vlysses è tot periculis emerisset, è cerebro Iouis exortam esse commenti sunt: profectò declarare voluerunt, non aliunde, quàm ex diuina mente fuisse humanæ vitæ lumen effusum. Quòd si ea philosophia, in qua & inuenienda, & constituenda, ornanda multum certè valuit hominum labor & industria, cœleste donum existimanda est, propterea quod hominum ingenia sine aliquo numine diuino rem tantam non videntur moliri potuisse: quid de philosophia illa iudicandum est, quam idcirco verè diuinam nominamus, quia in mentes hominum sine vlla ipsorum opera iniecta sapient. 7. est & inclusa diuinitus? Ille quidem, quem nihil penè fugit, Salomon dicere non dubitauit, à diuina virtute afflari sapientiam, & quasi emanare ex claritate & maiestate Dei. quæ cum ita sint, existimate vos, quantum ei studij, curæ operæ impertiendum sit cuius diuinum ortum hominū generi constat

stet æqualem ac parem exstitisse. Nunc quemadmodum cum nostra natura congruat, consideremus. Non enim ut tardæ languidæque pecudes ad obsequium, & indulgentiam corporis illud animal natum est, quod vnum ex omnibus particeps diuinæ mentis, plenum consilij, libera voluntate præditum videmus: facti sumus ab illo sapientissimo mundi architecto, multisque præstantissimis muneribus exculti tum ad intelligendum, tum ad agendum; suspicere nos ille iussit hunc pulcherrimum ornatum & admiratione tantarum rerum inuestigare ipsius numen, inuestigatum autem non venerari solum, ut par est, sed tanquam exemplar etiam propositum habere ad imitandum, ut non secus nos ipsos, nostraque omnia priuatim ac publicè tueamur & gubernemus, atque ab illo cernimus omnes mundi partes regi & conseruari: ita viuentes in altissimas & illustrissimas beatorum sedes ascendere voluit, & aliam quandam secum vitam agere; æternis refertam & cumulata bonis. Et quoniam parentem vniuersitatis inuenire difficile esse intelligebat, difficillimum autem vbi iam inueneris, in vulgus indicare, se ipse quondam, quibus voluit, & quoad necesse esse iudicauit, ostendit, reconditaque mysteria patefacit, ut

quoscunque illi instituisent, facile ab hoc aditu ianuâque patefacta, ad illam constantis perpetuâque voluptatis plenam vitam peruenirent. Itaque non eadē nobis, quā cæteris animantibus, attribuit corporis figuram, sed ingenio nostro habilem atque aptam: cumq; illas prono corpore ad pastū, & reliquas corporis voluptates abiiecisset, nos tanquam spectatores tantæ fabricæ, ad cæli & astrorum conspectum excitauit, ut illud ipsum domicilium erecti cōtueamur, quò nobis est omnis huius vitæ cursus dirigendus. Quæ verò res consentaneâ sit magis & congruens, is, qui ad contemplationem tantæ pulchritudinis, & honestas actiones orti & procreati sunt, quā & humanæ & cœlestis philosophiæ doctrina? quæ in duas diuisa partes, altera ponit ante oculos terras, maria, aërem, cœlum, & partim ex his, partim ex illis, quæ sunt hominibus enunciatâ diuinitus, fabricatorem tanti operis inuestigat: altera demonstrat, quemadmodū illum iam cognitum, & debito cultu prosequamur, & sapientia, consilio, generis humani charitate, iustitia, clemētia, cæterisque virtutibus, quoad per naturam fas sit, exprimamus. Abeant nunc, abeant pecudum similes homines ac ferarum: iisdem, quibus illa se voluptatibus oblectent, pascant oculos

los atque animum beluarum spectaculis: ibi sunt omnibus sensibus atque omni cogitatione defixi. Qui congruenter velit hominum naturæ, & pro ea quâ omnes accepimus à Deo, dignitate viuere, ambas vtriusque philosophiæ partes amplectatur; & quæ in contéplatione rerû, & quæ in actione versatur hîc se diligenter exerceat, hîc elaboret, hîc tota mente peruoluetur, hæc sunt hominis nobilitate digna spectacula: hæc hominum naturæ verè consentanea voluptas quæ ex humanarum diuinarûque rerû cognitione, & actionum honestate capitur, quibus duabus partibus, omnis humana & diuina sapientia continetur. Quid enim illustrius ad veram solidamque gloriam nobis potest contingere, quàm vt illius præstantissimæ naturæ, quam diuinâ vocamus, nonnullam similitudinem cõsequamur? at qui efficit hoc humanæ ac diuinæ philosophiæ cognitio, vt qui naturæ dissimilitudine à Deo, velut infinito interuallo disungimur, imitandi studio ad eum quasi quibusdam passibus propiùs accedamus. Neque enim audiendi sunt, vt excellentis poëtæ verbis vtar, (*Epicuri de grege porci.*) qui timentes, ne plus Deo negotij darent, quàm quantû posset viribus sustinere, si tam multæ res ei & videndæ & prouidendæ forent,

Horat. l. i.
ep. 11. 4.

Capit. 2 a.

Psalm. 93

Eccles. 5.

Psalm. 93.

Hebr. 4.

omnem ipsi rerum humanarum tum scientiam, tum procurationem stulti ademerunt. Fuerunt sanè multis etiam ante Epicurum seculis. qui postquam inexpiabiles fraudes commisissent, ut est in libro Iobi, Deum cælo se ac stellis contraere dicerent, neque per immensum propè spatium interiectum despiciere ac diiudicare posse, quæ apud nos geruntur: in nubibus eum delitescere, non cernere res humanas, omnem eius & scientiam ac prouidentiam, cæli gubernatione, concludi. Exorti sunt postea, ut legimus in libro Psalmorum, qui cum populum à Deo delectum vexarent omnibus modis, viduas, pupillos aduenas opprimerent, seque insolentius intolerantiusque iactarent nihil omnino Deum videre affirmarent, nihil scire nostrarum rerum: nos diuino Concionatori paremus, admonenti, ne diuinam prouidentiam tollamus, ne fortè impia oratione irritatus Deus, omnes conatus laboresque nostros inanes reddat. Nobis valde videtur absurdum, ut cum Psalmographo humano more loquar, eum, qui fabricatus est aures, non audire, neque videre qui oculos finxit. Patent illi supremæ naturæ non hominum dicta modò, atque facta, sed tacitæ etiã & occultæ cogitationes omnia nuda & aperta sunt oculis eius, ut Paulus ait: *suo sedeamus*

ms

mus, siue surgamus, siue quid aliud agamus, lo-
 quamur, cogitemus, omnia longè prospicit Deus,
 siue conscendas in cœlum, siue te abdas in
 altissimas terræ partes, siue traiecto mari, in
 extremis oris delitescas, siue noctis obscu-
 ræ latebras quæras, numinis diuini omnia
 complementis, tenebrâsque iuxta ac lucem
 æst. mantis, notitiam effugere non potes,
 idem ille, qui mundum architectatus est,
 suū opus absque labore & molestia tuetur
 & regit: ille non vniuersa genera solūm, vt
 quidā aliquando somniant, sed res etiam
 singulas & omnes earum actiones integrè
 procurat: neque res vlla maxima, minima,
 sine ipsius voluntate geritur. Quàm exigui
 pretij sunt passerculi? at ne vnus quidē co-
 rum occidet sine cœlestis patris nutu: quid
 est vilius capillis nostris? at omnes nume-
 ratos esse Deo, Christus affirmat. Vide-
 runt hoc etiam veteres Poëtæ, qui & Deum
 à nemine cerni, ipsum autem omnia in-
 tueri, dixerunt, & bona malâque omnia ab
 eo proficisci testati sunt, vt aurea Homeri
 libra, qua Græcorum & Troianorum pon-
 derantur fata, & illa duo dolia, vnde Iupi-
 ter modò bona mortalibus, modò mala di-
 stribuit, & Deucalionis fabula declarat:
 hinc illa præstantis viri verba, socios ad fe-
 rendos labores adhortantis.

Matth. 10

Orphæus.
ad Musæū
filium.

Iliad. 8.

Iliad. 24.

5. Metam.

650 De diuina & humana philosophia

O passi grauiora, dabit Deus his quoque finem

Hic illa Veneris pro Ænea filio ad Iouem

ibidem.

oratio, — O qui res hominūque deūmque

Æternis regis imperiis & fulmine terras.

3. C. rm.

Ode 1.

Hinc apud Melicem poëtam illud insigne

Iouis elogium, (*ouncta supercilio mouentis*,

quo breuissimè laboris, & molestiæ, & diffi-

cultatis expers mundi gubernatio demon-

stratur. hinc illa summi vatis in opere ludi-

Homer.

Batrocho

myoma-

chia.

cro grauitatis plena vox, *ἔχει θεός ἔνδον*

ὄμμα, hoc est, *habet Deus vindicæ oculum*, qui

breuius adscribere non potuit, & humana-

rum actionum scientiam, & animaduersionem

scelerum, & rectè factorum remunera-

tionem Deo. Quocirca etiã qui bella des-

Æn. 10.

cribunt, Deum constituunt spectatorem præ-

liorū, vt victoriã tribuat vtri partit mali. Ac

mihicertè nihil prorsus videtur interesse,

diuinã ne quis è medio prouidentia tollat,

an Deum omninò nullum esse dicat: si qui-

dem cessati, & nihil agenti Deo, à quo nihil

speraremus boni, mali nihil timeremus,

nullus honos, nullus cultus videtur esse tri-

buendus: his igitur duabus fūctionibus cūm

maximè vigeat cœlestis illa beataq; natura,

contemplatione & gubernatione rerum, ta-

Iliad. 5.

met si nūquam, vt scripsit Homerus, similis

est natio immortalium deorum, atque ho-

minum humi gradientium; & qui proximè

sibi

sibi videntur ad diuinam similitudinem accessisse, quàm longissimè à Deo absunt, tamen quoad ferre potest naturæ mortalis infirmitas, humanæ diuinæque philosophiæ doctrina nos Deo quodammodo similes reddidit, dum facit; ut illius vestigia persequentes, & supera, infera, humana, diuina cernamus, & nos ipsi, familiaeque nostras, atque ciuitates optimis institutis, ac legibus temperemus. Rectè Plato, cum mala negasset ex hominum vita posse funditùs extirpari, propterea quod necesse sit aliquid esse contrarium bono; eaque dixisset, nec apud deos usquàm posse consistere, & mortale naturam, atque infimum hunc mundi locum necessario circumire, conandù esse monuit, ut quàm citissimè hinc illò, videlicet ad Deum fugiamus, ac ne quis impelli se putet, ut sibi ipse manus afferat, fugam esse docet similitudinem Dei quoad eius fieri potest: ne verò rursus dubitemus; qua ratione. Deo similes effici queamus, addit eam similitudinem iustitia, sanctitate, prudentia, contineri: neque verò aut improbitatem fugiendam, ne mali aut virtutem sequendâ, ut boni esse videamur; sed ut Deo similes euadamus. Deum enim iniustitiæ penitus expertem esse omni ex parte iustissimū; nec similius quidquàm ei reperiri posse, quàm si nostrū aliquis quàm iustissimus

In Theo-
teto.

stissimus fiat: huius rei cognitionem sapiē-
tiam esse, virtutēque veram; ignorantiam
autem, inscitiam & vitiositatem manifestā.
Ex quo verè colligi putauit Ammonius,
hanc esse de sententia Platonis philosophiæ
definitionem, vt sit similitudo Dei, quoad
homini fas est, atque ad hunc finem referri
oportere vniuersam philosophiæ doctrinā,
vt & scientia & actione simus, quàm simil-
limi queamus, illius æternæ ac beatissimæ
naturæ. Quanquam si rem volumus penitus
intueri, non his duabus modò rebus homi-
num dum Deo similitudo à philosophia pro-
fecta continetur nescio an quod informa-
tum habeo cogitatione, verbis, vti conuenit,
eloqui possim, vos intendite, quæso, ani-
mum ad ea quæ dicam, si fortè inchoatam
hanc & vix dum primis lineamentis adum-
bratā rationem melius ipsi queatis cogita-
tione cernere, quam ego verbis explicare.
Quænam res est diuina vi & potestate mi-
rabilior, quàm sacræ prophanæque literæ,
dum omnipotentē Deū appellāt, summam,
esse cōfitentur, quam hæc tam incredibilis
molitio, rectioque tantarum rerum osten-
dit omni & oratione, & cogitatione supē-
riorem? quis non intelligit, quantò propiùs,
quàm idiotæ diuina vi & potestate absint,
qui præditi sunt omni genere scientiæ non
vide

ionem sapiē-
 ignorantiam
 em manifestā.
 Ammonius,
 philosophiæ
 Dei, quoad
 finem referri
 niæ doctrinā,
 quàm simil-
 ac beatissimæ
 imus penitus
 rebus homi-
 losophia pro
 od informa-
 yti convenit,
 quæso, ani-
 è inchoatam
 entis adam-
 eatis cogita-
 is explicare.
 orestate mi-
 eque litera,
 t, summam,
 incredibilis
 rum ostē-
 atione supē-
 tō propius,
 state absint,
 cientiæ non
 vide

videmus eos, qui Mathematici vocantur,
 multa facere solos, quæ ingēs hominū mul-
 titudo coniunctis viribus non fecisset? quæ
 illi pondera, cum nulla vi possent commo-
 veri, perleui momento non conuellerunt
 modò, sed quò voluerunt etiam emiserunt?
 quàm multis machinationibus, quàm va-
 riis, quàm inauditis orbium cœlestium imi-
 tati motus, ea effinxerunt manibus, quæ cæ-
 teri ne intelligentia quidem comprehende-
 re potuerunt? Nota est Archimedis illa fidu-
 ciæ plena vox, qui ratione inita qua pondus
 quantumcumque quantalibet vi pelleretur,
 sua demonstratione fretus, audiente Hiero-
 ne rege, exclamasse dicitur, si terram alte-
 ram haberet, cum in illam transisset, hęc se,
 in qua nos sumus fuisse moturum loco: ne-
 que de illa eiusdem sphæra ætas vlla conti-
 cescet, in qua vnus hominis artificio, nō se-
 cus atque in mundo imperio diuino, septem
 stellarum discrepantes motus vna conuer-
 sio regebat. Physici verò quam multa perficiunt
 præter omnium hominum opinio-
 nem? si vobis incredibilia videntur, quæ de
 aliorum metallorum in argentum & aurum
 mutatione prædicantur, illud certè nemo ne-
 gabit, quod sacrarum literarum monumen-
 tis testatum est, & auctoritate diuina cōfir-
 matū, Iacobum abrahama nepotem naturæ
 cogni

cognitione esse consecutum, vt modò vnus coloris, modò maculosi essent caprarum quiúnque partus. Quid de medicis dicam, quorum in seruandis hominibus artem & vim saepe miramur? quorum in corporibus incidendis, & in minimas quasque particulas dissoluendis industria, proximè ad naturæ solertiam, hoc est, ad diuiná artem, quâ sunt eadem coagmētata, videtur accedere? Non sine causa regum sapientissimus, omnia scripsit posse sapiētiā, quam ideo læuissimum & nitidissimum speculum diuinæ virtutis nuncupauit, quia nusquam maior, quàm in sapiente, similitudo diuinæ potestatis elucet: iure igitur similitudo Dei nominata est humana, diuinæque philosophia, per quam scientiæ dignitas, honestas actionis, magnitudo potestatis, quæ maximè propria sunt illius immortalis diuinæque naturæ, cum hominibus communicantur: quo quid maius, quid admirabilius, quid ingenuæ ac liberaliter educatæ iuuentuti magis experendum cogitari potest? quasi Deum quendam inter homines versari, vt de Hectore suo Priamus ob eximiam virtutem prædicat apud Homerum: neque fatum mortalis alionius generatum atque editum videri, sed omnia tuentis ac regentis Dei. Huc per Deum immortalem, huc studia vestra

Sap. 7.

Iliad. 24.

stra conuertite, quorum animi, dies atque
 noctes gloriae stimulis concitantur: hinc om-
 nes ingenij neruos contendite, quicumque
 eam vnam ducitis veram esse laudem; quam
 sua cuique parit industria, materiam & fe-
 getem sempiternae gloriae nacti estis: cuius
 amore diuinus magister generis humani
 mentes omnium nostrum inflammare vo-
 luit, cum hortatus est, vt caelestis parentis
 exemplo, in omni officij ratione, ac praecipue
 in hominibus diligendis absoluti simus atq;
 perfecti: sane quam prudenter Apollinem
 Homerus ita cum Diomede se acrius inse-
 quente, loquentem fecit: vide etiam atque
 etiam Tydide, ac recede, noli te diis exi-
 stimare parem & aequalem: oportebat enim
 reprimi hominis furentis audaciam; qui ita
 cum Deo certaret, vt eum a se vinci posse
 arbitraretur. At vero nos, qui de nobis non
 aliter, quam par est, sentientes longissime
 distare confitemur, humilitatem nostram ab
 altitudine diuina iure optimo non Platonis
 modo, verum caelestis etiam magistri ver-
 bis excitamur ad aliquam praestantissimae
 naturae similitudinem & imitationem, quo-
 ad mortalitatis nostrae conditio patiatur, ex-
 primendam. Qua in re quatum semper cla-
 borarint, Parisienses, Academiae alumni
 illustre apud exteras nationes huius ciuita-
 tis

Matt. 5.

Iliad. 5.

656 *De diuina & humana philosophia.*

is nomen ostendit, & multitudo sapientium, qui omnibus sæculis, hinc velut ex arce doctrinæ prudeunt, omnes propemodum terras liberalibus disciplinis artibusque cõplerunt, Anni circiter D C G C. sunt, cum summi imperatoris Caroli magni singulari consilio, humanarum & diuinarum artium est in hac vrbe sedes constituta: ætates ab eo tempore singulas a nimo illustrate: eum sæper ingenij, industriæ, eruditionis fuisse florem inuenietis; exterarum vt nationum homines cateruatim huc, tanquam ad vtriusque sapientiæ fontem tam longè à patria conuenirent. Atque vt omnes intelligant, plus me veritati dare, quàm patriæ charitati, tantumque peregrinum hominem huic Academiæ tribuere laudis, quantum haud scio, an ab vlllo ciue fuerit aliquando concessum: dico perpaucas esse scholas bene cõstitutas, quæ & ortum, & incrementa sua Parisiensi scholæ accepta referre non debeant. Complutum in Hispania celebratur doctissimorum hominum frequentia? omnia fere illius conuentus instituta sunt translata, ex Academiæ vestræ moribus & institutis magno studio descripta. Est in pretio, & in honore Salmantica? Etsi non hinc videtur scholæ suæ formã tam dissimilem expressisse, tamen illud opinor, vobis debet, quod exemplo vestro

stro. Hispaniæ reges ad colenda doctrinæ studia excitastis. Valentia ciuitas clarissima, eruditissimis hominibus, liberalissimisque studiis adfluēs, quodcumque sibi proposuerit exemplum, non prius tantam elegantis doctrinæ famam, quanta nunc floret, consecuta est, quàm suos ciues instructiores, quã venerant, ex hac vrbe recepit. Vidi Conimbricæ, quod oppidum est in Lusitania, gymnasium regio sumptu ædificatum, tam salutaribus institutis ac moribus. vt affirmare audeam, nullū ei par neque in reliqua. Hisp. neque in tota Italia reperiri: si quærat, per quos fuerit constitutum; partim per vestros homines comperietis, partim per ciues, verum ex his optimarū artium sedibus aduocatos. Non dubito quin ceteris quoque gentibus idē acciderit, apud quas vigent studia sapientiæ, siue hinc trastulerint omnem institutionis rationē, siue exēplo tantū impulsæ fuerint ad imitandū: rectē igitur hæc vna scholarum mater est, vnde vel omnes, vel plurimæ vbicumque gētiū scholæ sunt profectæ. Neq; mirum videri debet omnes, qui liberales doctrinas vsquã attigerunt tanto huius Academiæ quasi cōmunis parentis visendæ studio flagrare, vt non prius, quàm viderint, conquiescant, aut si facere prohibeatur: vitam sibi esse acerbā putant, quæ quo

maior est laus Parisienses, eò studiosius vobis retinenda est, ne quando amissa, tantò dedecoris plus ignominiaq; afferat, quãtò maiorem cõseruata dignitatem gloriãq; peperisset: tametsi ne amplissimum huiusce gloriã patrimonium vobis à maioribus relictum, negligentia perdatis, non est timendum. Est in hac Academia eruditissimorum hominum frequẽtia digna huius ciuitatis amplitudine, digna Gallico nomine, digna antiquissimi regni maiestate: ea porrò disciplina, tantus in singulis labor, tantãq; industria, sperandum vt sit, posteros maioribus suis præstantissimis viris ornamento ac decori futuros. Verùm meminisse vos oportet, quod agricolas necessariis præceptis instituens, admonuit prudentissimus vates,

Vir. I.
Georg.

— *Omnia fatis*

In peius ruere, ac retrò sublapsa referri.

Nihil est in rebus humanis, quod non fiat vetustate deterius, nisi assidua cura naturæ vim quandam afferat; & quantum temporis diuturnitas detrahat, tantum quotidianus labor adiungat: semina longo tempore selecta & probata vitiantur, & exiliora fiunt, nisi singulis annis arator optima quæque, & robustissima seponat: greges imbecilliores in dies euadunt, nisi pastores matrum patrumque corpora sæpe deligant ad spem
fobo

sobolis propagandæ: ipsæ respUBLICÆ quâuis
 potentissimæ, nisi orientia quotidie vitia di-
 sciplinæ seueritate corrigantur, nequeunt
 esse diuturnæ; quare vt qui lēbum aduerso
 flumine egrè remis impellit, ne impetu pro-
 fluentis aque feratur quò nolit, nihil vnquã
 de summa vi contentioneq; remittit: atque
 brachia contendit vehementius, vbi cursum
 amnis incitatioem videt; sic vos, quibus in
 conseruanda præstanti scholæ vestræ digni-
 tate cum profluentia conditionis humanæ
 reluctandū est, cauere diligentissimè debetis,
 ne studia paululum curamq; relaxetis, nisi
 vultis florentissimã Academiam incitatissi-
 mo rerum humanarum cursu ad interitum
 rapi: nos quidem quātum situm erit in no-
 bis, dabimus operam, ne nostræ partes de-
 siderentur: quintam hoc anno classem adie-
 cimus, quo melius adolescentes erudiantur:
 frequentes exercitationes institutæ sunt, si-
 ne quibus fallitur qui se quidquam promo-
 uere posse confidit: præceptores pro se qui-
 que sine intermissione laborabunt; neq; mi-
 nus aliorum, quicunque sese penitus tra-
 diderint in nostram disciplinam, vtilitati
 consulent, quàm eorū, qui nobiscum etiam
 viuūt. Restat vt qui nobis operã dare vultis,
 vos eorū qui cholis præerunt, consilio regi
 patiamini? neque aut turpe ducatis, eis in-

genij eruditionisque vestrae specimē præbere, à quibus vestra studia, nisi his cognitis, dirigi probè non possunt, aut respondendi, scribendi, disputandi consuetudinem exercitationemque fugiatis, sine qua manca profectò ac debilis est, omnis institutio futura, quæ si vos admonitione mea permoti sedulò feceritis, quicumque animum ad sapientiae studium appulistis, vt omittam alia, quæ à me initio proposita, quoniam nunc nō potuerunt, altera oratione tractabuntur; & donum iam inde à rerū ortu mortalibus diuinitus datum, consequimini: & vitam conuenienter naturæ traducetis: & cognitione, actione, potestate propius ad naturæ diuinæ cognitionem accedatis & nobilissimæ schoiæ nomen vsque à Carolo Magno omnium gentium sermone celebratum, immortale reddetis & æternum.

Altera oratio, quæ hic promittitur, desideratur, quam auctor morbo praeventus, conscribere non potuit.